QVAESTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS TERTIA FEBRVARII.

M. GERMANO PREAVX, Doctore Medico Moderatore.

An Temperamentum Melancholicum Heroïcum? 785

QVATVOR humoribus, qui medico elementa ſunt prima, conflatur humanum corpus: illis variè permiſtis, & eâ ratione contemperatis, vt vnus excellat, is definit ac denominat temperamentum. Si ſuccus exuperat melancholicus, temperamentum emergit Melancholicum. Huius ἰδιοσυγκρασίαι ſunt innumeræ, vndè melancholicorum naturæ conſurgunt infinitæ: ſua cuique ſors: quæ bilis ſapit aliquid, ea præſtat: adeò temperandis humoribus vtilis eſt bilis. Eâ, ceû embammate, intinctus ſanguis, ſuauior fit: eâdem aſperſa pituita, gratior eſt: nec adeò auſterus Melancholicus ſuccus, eâ ipsâ ſuffuſus. De medio temperamento ſurgeret inconditi aliquid, nî bilis nonnihil illud redoleret.

LONGE alia eſt bilis illius ratio, quæ atra dicitur: inutilis ea prorſus eſt, maximéque noxia, omninò præter naturam; vt eius contage quodque corrumpatur temperamentum: quiuis in eam feruore degenerat humor: varia & multiplex, omnis effera, quæ à bile naſcitur efferatior: ſumma cuiuſuis pernicies, vt exitiales omnes ferè ſint morbi, quos atra bilis protulerit; grauiſſimæ etiam animi perturbationes, quas illa concitarit, effrænatæ omnes, vt quæ ratione nullâ regi queant. Quæ intemperiæ! Effusè loqui, linguâ quandóque alienâ, ſtupore pecudis obmuteſcere, efferri lætitiâ, iacêre in mœrore, immane nefas audere, ferino pauore percelli, ſoricis occentu, feliſve adſpectu perturbari. his aguntur atrâ bile perciti. an hi melancholici habendi? ſanè μελαγχολᾶν, principi Comœdiæ Poëtæ, μαίνεσθαι eſt.

MELANCHOLICVS ſuccus, bile πως ἂν temperatus, eximias animi vires promit. hac præcipuè temperie, eâque probâ, animi mens emicat: vnde melancholici ſagaces, & rerum prudentes habentur; vt qui omnibus veſtigiis abdita rerum indagent, res quaſque ſuis momentis ponderent. Ea ingenij, vnáque iudicij ſumma laus, Melancholicis propria eſt, & ſua: vt & præcipua illis eſt memoriæ gloria. Frigidus & craſſus ille ſuccus, agitante bile incaleſcens, ſpiritum profert his mentis actionibus edendis apprimè commodum. In corporis autem adminiſtratione ſpiritus vis eſt ſumma; vnus eſt, atque ille æthereus, cuius fulgore cum animus, tum ipſa natura vniuerſo corpori collucet. Sanè huius miniſterio facultas quæque ſe prodit, vt in totâ ratione actionum, omnia maximè ſpiritui accepta ferenda ſint.

SVCCVS Melancholicus ſiccus eſt, & terreſtris; vndè Melancholici eximiis ſunt viribus, longiore etiam vitâ. Innatus calor, vitæ opifex, permanet vtique diutius in humore primigenio, cuius non adeò fluxa, ſed firmior, magíſque terreſtris fuerit ſubſtantia. Virium robur firmitate neruorum continetur: nerui conferti, & ſicci ſummâ vi pollent; ſi quando emollita, ac ſoluta eorum compages fuerit, languent; & vnà corporis vis omnis exoluitur. Partis cuiuſque ſoliditas denſis, & terrenis villis contexta eſt: & quæ partium etiam principum robur conſeruant medicamenta, omnia temperie ſunt ſiccâ, & mole terreſtri. Hæc ipſa adſtringentia ſunt, quæ in dyſenterico affectu commendantur plurimùm, primo quôque etiam tempore vſurpata.

MELANCHOLICI rerum omnium præſtantiâ excellunt, ſupra modum ac penè naturam hominis. Si ſe dederint artibus, ſummi philoſophi, ſummi oratores, ſummi poëtæ, ſummi artifices; ſi publicarum rerum curam & adminiſtrationem ſuſceperint, πολιτικώτατοι. Qui exſtitere vnquam ingenio, induſtriâ, omnique virtutis genere eximij viri, herôes dicti, omnes ea ipſa, quibus inclarüere, quæ ſumma fuerunt, Melancholici temperamenti merito ſunt conſequuti. Quo naturæ ſingulari munere beati, & felices longè cæteris præſtitere, vt etiam dij crederentur. Immane quantùm Melancholici ſuperant omnium fortunam! mortales, dij habentur!

Ergo Temperamentum Melancholicum Heroïcum.

Proponebat Lutetiæ IOANNES PIETRE Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIII. 231.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Seguin. P. R.
M. Ioannes Baptiſta Ferrand. Schol. P.
M. Simo le Letier.

M. Sebaſtianus Rainſſant.
M. Petrus Guenaut.
M. Nicolaus Braier.

M. Renatus Chartier. M. R.
M. Andreas du Chemin. M. R.
M. Georgius Arbault.